

PONTANO

IAMBICI (113 vers)

## TRANQUILLAM NEPTEM BIMESTREM ALLOQUITUR IN OBITU LUCII FILII

I\_1 v.1 Avi tui, Tranquilla, delictum et quies  
 2 orbi senis, quem fles, misella ? Maestula,  
 3 quem fles ? Patremne, quem extulisti infantula ?  
 4 Sentis an haec in matris ulnis ? An meis  
 5 et ipsa deflens assonas conquestibus ?  
 6 O inditum naturae et homini adinsitum  
 7 semen patrisque avique : Tranquilla hinc dolet,  
 8 patrem dolet misella, avoque condolet.  
 9 Sed quid, quod arrides, quod adnutas avo ?  
 10 Senis levamen unicum, an solari avum,  
 11 postquam patrem luxti, studes, mea neptula ?  
 12 Ridet meum deliciolum. Ride, mea,  
 13 ride, voluptas, osculare avum tuum,  
 14 et hoc levaminis genere senem fove,  
 15 leva meum luctum, leva sordis meas,  
 16 senemque avumque ab aegritudine alleva.  
 17 Caducus ipsa es flos, mihi sol occidit :  
 18 flori timenda nebula, tenebrae autem seni ;  
 19 ita occidua senis, caduca infantulae.  
 20 Certi nihil vitae tibi est, neptis mea ;  
 21 at certam avo mortem minantur singula.

## CONQUERITUR DE LUCII FILII MORTE CUM TRANQUILLA NEPTE

I\_2 v.1 Senii levamen unicum neptis mei,  
 2 ubi est pater tuus, misella ? Mortuum  
 3 quem nescias, misella, nec jam sentias  
 4 aetate in ista primula, dieculis  
 5 paucissimis e matris alvulo edita,  
 6 rubicundula, et nutricis alludens sinu ?  
 7 Heu heu, genus hominum caducum et languidum  
 8 in germine ipso : vitae in ipso limine  
 9 puer interit, natum senex effert pater,  
 10 avus patrem tuum, misella neptula,  
 11 et ipsa patrem infantula in cunabulis.  
 12 Vivitque avus confectus annis, ipsaque in  
 13 crepundiis vagis, mali tui inscia  
 14 sortisque venturae. Dolor, dolor adigit  
 15 avum, patrem, senemque sorte de hac queri.  
 16 Miseram senectutem meam, miserum senem.  
 17 At tu, misella, forte avum si amiseris,  
 18 hoc destituta vinculo aresces, velut

19 crescens amaracus, liquore si suo  
20 suoque sole non alatur, interit.

TRANQUILLAM NEPTEM ALLOQUITUR

I\_3 v.1 Tranquilla, quid rides mali tui inscia ?  
2 Avum quid ad risum allicis jocis tuis ?  
3 Jocaris amens in paterno funere ?  
4 Sapere sed hoc est ; vita namque omnis merus  
5 Luctus, mera est miseria. Ride, neptula ;  
6 furare pensulum hoc novercae, et quantum est  
7 ipsum neas tibi ; offulam aegritudini  
8 subduc et hanc, ut ista quamvis parvula  
9 lux in tenebris emicet : nox caetera est.

CONQUERITUR APUD ROSAS DE MORTE LUCII FILII

I\_4 v.1 Quid, o rosae, quid lassulae reflectitis  
2 caput, comaeque decidunt e vertice,  
3 honosque foliis deciduus omnis perit ?  
4 Vobis nec aer officit, nec aeris  
5 nocens status ; vernus tepor sed vos fovet,  
6 aurae salubres ventilant, nox udula  
7 humore tingit roscido. Quid, heu, quid est,  
8 quod languidae, quod lassulae reflectitis  
9 caput comasque ? Honos et omnis concidit ?  
10 Lugetis an vos Lucium colonulum,  
11 qui vos colebat aureis rastellulis,  
12 argenteis qui vos putabat falculis ?  
13 Heu heu, miser parens, miser quid agam senex ?  
14 Senex miser, pater miserior, quidnam ages ?  
15 Senex quid aget, aut quid pater miserrimus ?  
16 Lugete mecum, o hortuli miserrimi,  
17 lugete, amaraci, fleant et lilia,  
18 fleantque myrti longe amatum villicum,  
19 laurique cultorem suum arescentibus  
20 foliis comisque, et ramulis maerentibus.  
21 Quis vos, misellae arbusculae, quis, herbulae,  
22 colet, rigabit ? Quis manu tenerrima  
23 a sole, ab aestu, aut ab gelu tuebitur ?  
24 Quis noxias aut bestias, aut impetum  
25 caeli procellosum sacro abigat carmine ?  
26 Eheu, misellae arbusculae, eheu, herbulae,  
27 miselli et horti, mortuo colonulo,  
28 squalebitis, tabescet et vester decor,  
29 honos peribit omnis. Ah senex miser,  
30 sic ipse tabescet, agro velut obsito  
31 tabescit arens truncus igne ab lentulo  
32 correptus, in cinerem qui abit, ac sensim, sine  
33 nitore, flamma, luce adempta, fumigat.

## CONQUERITUR CUM AMARACO DE MORTE LUCII FILII

I\_5 v.1 Foliis quid heu, amarace, heu quid floribus  
 2 nudata squalis maestula ? Heu quid languida  
 3 arentibus comis et horrido sinu,  
 4 lugubri amictu fles, misella amarace ?  
 5 An ipsa flere arentibus potes genis ?  
 6 Deest enim, te qui rigabat, et tuus  
 7 colonus ille, argenteo qui vasculo  
 8 liquorem amatum funditabat et tuam  
 9 sitim levabat, et levabat sideris  
 10 rabiem Erigonii. At ego, misella amarace,  
 11 tuam sitim meis levabo lacrimis.  
 12 Cape has, misella, lacrimas maestis senis :  
 13 memor osculorum in illius fundo tibi  
 14 tercentum amaras pro liquore lacrimas,  
 15 pro rore guttas salsulas totidem alteras,  
 16 amplexuum memor alteras, et illius  
 17 memor leporum et comitatis blandulae.  
 18 His tu viresces et novam indues comam,  
 19 beata amarace, foliis novis, novo  
 20 amictu ; at ego senex subarescam miser  
 21 humore vacuus, saepe velut in arida  
 22 asparagus igne afflatus, aut de fulmine  
 23 tacta arbor elanguescit ab radicibus.

## CUPRESSUS LOQUITUR

I\_6 v.1 Misella cupressus puer quondam fui ;  
 2 mater rigabat me tenellam lacrimis ;  
 3 exin adulta lacrimis crevi senis.  
 4 Quem me daturam creditis fructum, nisi,  
 5 heu heu pater miselle nato mortuo  
 6 aetate in ultima, heu adempto filio,  
 7 heu heu miselle, hoc lacrimarum praemium ?